



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

XVIII. Quof delegatus potest accusari.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

ANNO
CHRISTI
1179.

CAP. XV.

*Idem Rhemensis archiepiscopo. Pars capituli,
Cum sit Romana.*

Si in vna causa aliquis appellauerit, & pendente appellatione aliquod crimen committat, vel prius commisisse dicatur, vel modo etiam accusetur vel conueniatur de alia re, super qua non sit appellatum, & illam perferri contingat ad audientiam iudicis, a quo etiam in alio negotio appellauerit, tum potest si voluerit tamquam suspectum vitare. Alioquin debet iudicio stare illius, a quo appellatum est, maxime si iudex suus ordinarius existat.

CAP. XVI.

Consuluit nos fraternitas tua, vtrum recusationes admittere debeas in causis, quas absque remedio appellationis tibi committimus terminandas: Super quo discretionis tue taliter respondemus, quod licet sacrae leges tale remedium admittant, cum censuræ sacrorum Canonum aliud remedium præter appellationem non admittant, cum licitum sit secundum statuta Canonum ante litis contestationem, & in ipsa litis contestatione, & post decisionem causæ, ad appellationis remedium conuolare. Ideoque remedium recusationis non debes admittere, si quando causas aliquas tibi commisimus, appellatione remota, terminandas. Verumtamen cognitioni causæ, quæ vertitur inter B. & nepotem Baldevvini, volumus in præsentem vt superfedeas, quia vtraque pars conspectui nostro se præsentauit.

CAP. XVII.

Idem Exoniensi episcopo. Pars capituli, Significasti;
supra de potestate iudicum.*

Appellationi, si qua super aliquo casu ab alterutra partium fuerit interposita, nisi appelletur ab ipso, cui causa sit, appellatione remota, commissa, cum debita est deuotione deferendum.

CAP. XVIII.

Idem Lucius III. Vu. Lincolnienſi episcopo.

Postremo præsentibus literis fraternitati tuæ intima-
Bbbb iij

mus, quod si aliqua causa alicui fuerit delegata, qui consanguineus illius sit, qui literas impetrauit, aut in eodem negotio aduocati officio functus, aut ex alia quacumque causa suspectus, huiusmodi delegatus potest non immerito recusari, quamuis appellatione remota fuerit negotium delegatum.

CAP. XIX. *Alexander III. Dunelmensi episcopo.*

Suggestum est auribus nostris, quod cum oppressi & grauati ad praesidium sedis apostolicae recurrunt, & appellatione facta iter arripiunt, aduersarii eorum, appellationem interpositam cognoscentes, nec ad praesentiam nostram accedunt, nec pro se responsalem transmittunt. Cum autem praesenserint eos redisse & literas nostras reportasse, in vocem appellationis prorumpunt, & iter ad nos veniendi arripiunt, vt sic eorum sollicitudinem, a quibus impetuntur, eludant. Verum quoniam nemini debet fraus sua patrocinari, & falce apostolici moderaminis sunt refecanda, quae in se vitium calliditatis & fraudis continere noscuntur: & nos super hoc consulenti tibi respondemus, quod si quis deprehensus fuerit hoc ex fraude vel malitia facere, eius appellationi non deferas, neque ob id causam tibi commissam sine congruo terminare postponas: quia decretalem epistolam, qua tales videntur muniri, non ad deprimendam cuiusquam iustitiam, sed ad remouendum iniustum grauamen nos fecisse cognoscas.

CAP. XX.

Idem Cantuariensi archiepiscopo & eius suffraganeis.

Relatum est auribus nostris, quod quidam sint in prouincia vestra, qui vxoribus propria auctoritate relictis, concubinis adhaerere non dubitant, & errorem suum ac temeritatem suam fouere ac tueri per appellationis obstaculum nituntur. Quoniam igitur officio nostrae sollicitudinis imminet prouidendum, ne appellationis obtentu in sua malitia perseuerent: fraternitati vestrae, &c. quatenus si manifestum est, aliquos de prouincia vestra vxores suas sine rationabili causa dimisisse, & aliis adhaerisse, si commoniti vxores suas, concubinis abiectis, non receperint, propter appellationem, si quam ad errorem suum fouen-